

patrocinio communimus, mandantes et decernentes ne dicta piscatio obligetur vel alienetur ab ecclesia sancti Thomae quoquo modo et quod pisces ex huiusmodi piscatione provenientes conventui in refectorio ministrentur et non extra. Praeterea mandamus, ut anniversarii in littera donationis positi a conventu diligentius observentur et quod nullus infra limites dictae piscationis impedimentum quod gehege dicitur faciat vel usurpet. In praemissae siquidem confirmationis perpetuam memoriam sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Si quis autem hanc confirmationem nostram violare temere praesumpserit ac donationem dicti domini lantgravii, indignationem omnipotentis dei et nostram excommunicationis sententiam ipso facto se noverit incursum, quam sententiam si necesse fuerit mandamus per praepositum et conventum ibidem publicari. Testes huius confirmationis sunt infra scripti: Richardus praepositus, Theodericus decanus, Vlricus thesaurarius, Witigo cantor, Henricus de Webou canonicus dictae nostrae Merseburgensis ecclesiae et Conradus notarius noster cum aliis pluribus fide dignis. Datum et actum Merseburg anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup> quinto Kal. Septembris, pontificatus nostri anno septimo.

Nach dem Registrum copiarum fol. 152 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden  
Bericht d. deutsch. Gesellsch. zu Leipzig. 1848 S. 14.

### No. 71. 1309. 27. Sept.

*Rechtsspruch, zufolge dessen dem Kloster die von Ramvold von Winleven streitig gemachten  
2 Mark in Lausen zuerkannt werden.*

In nomine domini amen. Nos Conradus perpetuus vicarius ecclesiae Merseburgensis iudex constitutus a reverendo domino et patre H. eiusdem Merseburgensis ecclesiae episcopo in causa, quae vertitur inter honorabilem virum dominum Conradum praepositum sancti Thomae in Lipzk nomine monasterii sui ex una parte et Ramvoldum de Winleven parte ex altera super duarum marcarum redditibus in Lusene<sup>a)</sup> sitis, quas idem Ramvoldus ad se dicit pertinere, vocatis praedictis partibus ad nostram praesentiam lite coram nobis legitime contestata ipsis partibus terminum ad probandum de iure suo assignavimus. Quo termino adveniente memorato Ramvoldo nihil probante praefatus dominus praepositus quaedam in iure exhibuit instrumenta, per quae lucide apparebat, praedicta bona ad se et ad suum monasterium pertinere. Unde communicato discretorum virorum consilio praedictos duarum marcarum redditus antedicto domino praeposito et monasterio suo sententialiter adiudicamus, praememorato Ramvoldo super hoc perpetuum silentium imponentes. Data et lecta est haec sententia anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.IX<sup>o</sup> in die Cosmi et Damiani martirum praesentibus honorabili viro domino Th. decano et domino Wi. de Torgowe cantore ecclesiae Merseburgensis, magistro Th. vicario, magistro Petro rectore scolarium, Th. scriptore domini de Amendorp et Sif. scriptore domini decani.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das an einem Pergamentstreifen befestigt gewesene Siegel ist abhanden gekommen.

<sup>a)</sup> Vgl. No. 51.  
COD. DIPL. SAX.-II, 9.